



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Jus Canonicum Ad Libros V. Decretalium Gregorii IX.**

**Huth, Adam**

**Augustæ Vindelicorum, 1732**

22. De Clericis peregrinis

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63433)

*occulta* fit. Pari cum Episcopo potestate gaudent Superiores regulares, jurisdictionem quasi Episcopalem in subditos suos exercentes.

## TITULUS XXII.

### De Clericis Peregrinis.

**Q.** 1. *Quinam hic veniant nomine Clericorum peregrinorum, & quid de iis in jure statutum?*

*Resp.* ad 1. Licet omnes extranei, sive qui non sunt de diœcesi, in qua morantur, peregrini dicantur hic tamen præcipuè Clerici peregrini dicuntur, qui sunt ignoti, vagi, venientes ex locis remotis. *Resp.* ad 2. De utrisque statutum est 1. ut non conferantur iis quicunque Ordines sine dimissoriis *c. fin. de tempor. Ord in 6.* 2. Ut non admittantur ad superiorem Ordinem ascendere, nisi præter *dimissorias* habeant etiam *litteras formatas*, sive Ordinum susceptorum testes *c. 1. h. t.* De Clericis ignotis statutum est *Trid. sess. 23. c. 16. in fin. de reform.* ut non admittantur ad exercendos suos Ordines & præcipuè ad celebrandas Missas, nisi instructi sint *litteris commendatitiis* suorum *propriorum* Episcoporum, quæ literæ continere debent testimonium morum, legitimæ Ordinationis, & carentiæ impedimenti celebrationi obstantis. *c. 7. dist. 71, c. 3. h. t.*

**Q.** 2. *An Episcopus Sacerdotibus aliisque Clericis diœceseos suæ peregrinari vel aliò discedere volentibus commendatitias negare possit?* *Resp.* 1. Quòd negare possit Clericis obtinentibus beneficium requirens residentiam, si velint ultra tempus à jure indultum abire

abire



abire peregrè, neque justa causa subfit, neque Vicarius idoneus substituatur, certum est.

*Resp. 2.* Episcopus tenetur *per se loquendo* aliis Clericis non habentibus beneficium stabile dare literas commendatitias, si has ex peregrinationis, domicilii, aut diœcesis mutandæ causâ petant. *Laym. in c. 1. h. t. & Wiestn. n. 6.* Ubi tamen datum ab utroque monitum observandum.

*Q. 3.* Quid dicendum de Clerico ignoto, qui commendatitias amisit, illasve hostibus patriam occupantibus non potuit obtinere? *Resp.* Ut talis Clericus admittatur ad celebrandum, debet per testes idoneos, qui dictas literas perlegerunt, tam earum amissionem, quam tenorem probare; vel his deficientibus, per famam, comunem opinionem, &c. *c. 2. h. t.*

*Resp. 2.* Deficientibus similibus argumentis non admittitur Clericus ad celebranda divina, licet paratus sit jurare, legitimè se ordinatum. *c. 2. h. t.* Ratio, tum quia sponte se offerens ad juramentum se reddit suspectum. *L. 3. in princ. ff. de jurejur.* tum quia juramentum in supplementum probationis non defertur, nisi dum vel semiplena probatio, vel præsumptio stat pro aliquo. *arg. c. fin. de jurej.*

*Resp. 3.* Talis tamen Clericus peregrinus, nisi sit suspectus de fictione, potest admitti ad privatim celebrandum. *c. 3. h. t.* quia casu quo sacerdos non esset, se tantùm deciperet, quod non præsumitur. Cæterùm cum Trid. utatur conjunctim terminis, *vagi & ignoti*, ii qui ex vicinis diœcesibus veniunt, passim citra omnem probationem aut literas ad celebrandum admittuntur.